



20 g. davis.

einzelner Versteck  
23. IV. 1915

~~G.H. 20~~  
 EX BIBLIOTH.  
 NATIONIS HUNGAR.  
 VITEBERG.  
 17-20.  
 SIGNAT. CIICCCXIII.

2 2 2 2 2 19 18 17 16 15 14 13 12 11 10 9 8 7 6 5 4 3 2





In hoc Volumine continentur  
A Disputationes

~~De Poenitentia~~

- 1., Oslandri. De poenitentia. Tubing. 1675.
- 2., Bechmanni. De reali pres. Corp. et Sang. Xpi in sacra Cona. reformatis opposita. Jena. 1675.
- 3., Niemann De verbis institutionis Coena dominice. Jena. 1669.
- 4., Bechman. Dissert. ad. 1. Joh. 1. v. 7. 1674.
- 5., Müller. De numo Confessionario. Brühlstr. 1675. Jena.
- 6., Frischmuth. De Messia Dei filio. in Ps. 2. v. 7. Jena 1676.
- 7., Eiusdem. De vili et abjecto 30. argentor. pretio, quo a Judaeis Messias estimatus est. Zach. 12. v. 12. 13. Jena 1672.
- 8., Eiusdem. De unica Messia pro reatu se tradentis hostia. ibid.
- 9., Eiusd. De manuum pedumq. Messia perforatione. Ps. 22. Jena 1663.
- 10., Eiusd. De Agno Dei. et Joh. 1. v. 29. Jena. 1674.
- 11., Eiusd. De Angelo Foederis. et Malach. III. Jena. 1660.
- 12., Eiusd. De propheta Mosi par. et Deut. 18. v. 18. Jena 1675.
- 13., Eiusd. De Pontificatu exosis. Jena. 1673.
- 14., Eiusd. De Evangelio hunc egressuro. Es. 2. v. 1. ff. 1669.
- 15., Eiusd. De Decimis. 1657.
- 16., Eiusd. De Arca Foederis. Jena. 1676.
- 17., Sebast. Schmidii Quaes. Sacra, Quoniam Arca foederis pervenerit. Jena. 1676.
- 18., August. Pfeiferi. Exercitationes biblica. V. 1670.
- 19., Eiusd. Teraphim, s. idolis Labani. V. 1663.
- 20., Eiusd. De Schiloh. filio Jehudah, Gen. 49. v. 10. 1669.
- 21., An Sephta filiam imolaverit. Jud. XI.
- 22., Examen Abarbevelis ad Obadiam. Pfeiferi. V. 1666.
- 23., Pfeiferi. Exercitationes faciles ad doctrinam Arcei tunc Ebraicor. V. 1666.
- 24., Eiusdem. An Sephta filiam imolaverit. V. 1675.



25. Liebentanz de Terra Morijah. Gen. 22. Vite. 1670.
26. August. Varenii, Columba Super Capite Christi  
in Jordane visa. Math. III. v. 16. 1671.
27. Tob. Vagneri, de salutifero nomine Jesu. Tubing. 1674.
28. Hillingerii, de Descriptione Ipsi in terra. Joh. 8. Vite. 1672.
29. Stolbergi, tria questionum ad Math. II. v. 4. Cap. XIII. v. 24.  
Apocaf. XIII. v. 8. Vite. 1670.
30. Georg. Mulleri, Periphraseon ad illustranda loca non,  
nulla N. T. Vite. 1670.
31. Elias Geisler, De Symbolis. Lips. 1676.
32. Georg. Freen, de Sybillis. Vite. 1661. Vite.
33. Seppelii Jo. Jac. De ritu flagellandi apud nos. Vite. 1670.
34. Dehmam, De Scriptura Sacra Pontificus potissimum op.  
posita. Jenae. 1672.
35. Andr. Kunard, De mento J. C. Oeantropi. Vite. 1652.
36. Passions Spiegel. oder: Drey Fundigten von der Auflosung  
Haaes. Gen. 22. Vite. 1675.
37. Quia Fundigt: Ruffign Mandel durch Fundigt zum Fundigt  
Meydr. 1673.
38. Invitao Decani Philosoph. Facultatis Lips. ad colationem  
honoris Baccalaurei. 1676.
39. Fovago de Confectione. Script. nuptiale, 1675.

Tantum!  
1782



2.  
28

2. D. B. U.  
DISPUTATIO THEOLOGICA  
DE  
REALI PRÆSEN-  
TIA CORPORIS ET SAN-  
GUINIS JESU CHRISTI IN  
SACRA COENA,  
REFORMATIS OPPOSITA,

*Quam*  
AUSPICIIS SACROSANCTÆ AC INDI-  
VIDUÆ TRINITATIS

PRÆSIDE

DN. FRIDEM. BECHMANNNO,  
S. S. Theol. Doctore, ejusdemque in  
florentissima Salana Professore Publico,

*DN. Patrono ac Præceptore suo omni honoris ac  
observantia cultu æternum colendo  
publicè ventilandam exhibet*

JOHANNES GODTSCHALCUS SOCHTORPIUS,  
Lippia Westphalus,

A U T O R.

*In Auditorio Majori*

Ad d. Maji, Anno M. DC. LXXV.

---

*JENÆ, TYPIS JOHANNIS WERTHERI, Typographi Ducalis.*

D



5  
25

DISPUTATIO THEOLOGICA

REALL PRÄSEN-

TIA CORPORIS ET SAN-

CTI IN

SACRA COENA

REFORMATA

VIDUA TRINITATIS

DR. FRIDRICH BECHMANN

2.2. Theol. Doctor, etc.

JOHANNES GÖTTSCHEWITZ

1770


VERLAGSSTELLE







I. N. J.



Erba institutionis sacrae Coenae, quae sunt Verba Testamenti, Filius Dei, instante jam mortis hora, devoto atque ardenti affectu protulit, utpote quibus ultimam voluntatem nobis relinquere suumque corpus edendum, & sanguinem suum bibendum, in salutis medium & pignus legare atque sacrum hoc negotium, Ecclesiae commendare voluit: quae verba merito summa cum religione debebant ab omnibus in timore Domini observari, quia sunt non nudi cujusdam hominis, sed ipsius veri ac vivi Filii DEI verba. Sed proh dolor! non defuerunt olim, nec etiamnum desunt, qui sacrosancta haec Salvatoris verba depravant. Ut enim jam Veteres mittam haereticos, Montanistas, de quibus vid. August. *her.* 26. Epiph. *her.* 48. Artotyritas, de quibus vid. August. *her.* 28. Epiph. *her.* 49. Marcosios, de quibus vid. Iren. *l. 1. c. 9.* Epiph. *her.* 34. Transsubstantiationis autores circa sec. octavum & alios, maxime notandi nobis sunt Zvingliani, quibus praevire Johannes Erigena Scotus, Bertramus Presbyter Corbejensis, Berengarius, alii, quibus panis & vinum in Sacra Coena nuda Corporis & Sanguinis Christi signa videntur, qui proinde propriam verborum Institut. significationem deserendam esse contendunt, quod ratione sua SS. hoc mysterium assequi satis non valeant, quare Zvinglius in

A 2  
D

Col-



Colloquio Marpurg nihil credendum esse ait, quod ratione comprehendi nequeat, quia DEUS nobis non proponat incomprehensibilia. Cum igitur ipsi responderetur, Corpus Christi manducari in Cœna Domini, modo imperscrutabili, dixit: egregiam verò lucem, quæ non tantum luminis præbeat, ut intelligere queamus, quomodo corpus ejus in pane manducetur. Verum sciant Calviniani, humi quærere, quod in sublimi debeant invenire, maximi instar esse sacrilegii, dicente Minutio Felice in Octavio pag. 34. quæ verba monstrant homini Christiano principia, ex quibus de rebus, quæ puræ fidei sunt, judicare debeat. Non humi quærenda est istarum veritas, hoc est in ratione humana, quippe quæ suis viribus ad salutarem DEI & mysteriorum divinatorum cognitionem nos non ducit; sed in sublimi h. e. in ipsis Scripturæ S. penetralibus, hæc si Calviniani animis imprimerent & sæpius in pectore volutarent, nunquam sane arduum hoc mysterium animo adeò præfracto, quia id ratione humana metiri nequeunt, negarent. Hoc si Wendelinus quoque considerasset, nunquam realem præsentiam Corporis ac Sanguinis CHRISTI in sacra Cœna, ex cœcæ rationis principiis impugnare satagisset. Rectius Nostrates, qui realem in sacra Cœna Corporis ac Sanguinis JESU CHRISTI præsentiam, Scriptura Sacra eam docente ac confirmante, profitentur ac docent; Quam etiam hac in disputatione nostra, contra Calvinianos, imprimis Wendelinum, Scriptura Sacra prælucente, demonstrabimus;

DEUS adsit conatibus nostris! Sit

ergo nostra

THE-



## T H E S I S

Corpus ac Sanguis Jesu Christi Verè ac Realiter præsens est in Sacra Cœna, ut accepto pane tanquam externo symbolo ac elemento, communicantes IN, CUM & SUB Pane verum Corpus Christi; & accepto vinò tanquam externo symbolo ac elemento IN, CUM & SUB Vino verum Sanguinem Christi accipiant.

## §. 1.

**H**Æc nostræ thesæos verba non nituntur argumentis à ratione humana petitis, sed verbis Domini ac Salvatoris nostri Jesu Christi, qui instante jam mortis hora de ultima sua voluntate certos nos redditurus dixit: Accipite, comedite, *Hoc est Corpus meum*; Bibite ex hoc omnes, *Hoc est Sanguis meus*: Quæ verba sicut de manducatione & bibitione orali intelligenda sunt: ita significant, id, quod accipere & comedere Christus jubet, esse ipsum *Corpus suum*, & quod bibere jubet, esse ipsum *Sanguinem suum*. Sed verba, prout à Sacris Scriptoribus consignata sunt, propius intuebitur, & quam amicè pro sententia nostra conspirent, videbimus.

§. 2. Matthæus, qui fuit testis *ἀπὸ τῶν* eorum, quæ à Christo in institutione Sacræ Cœnæ dicta & gesta sunt, ita dicit Cap. XXVI. v. 26. seqq. Jesus, cum accepisset panem, & benedixisset, fregit eum deditque discipulis, & ait, accipite, comedite: *Hoc est corpus meum*; Et accepto poculo, ac gratiis actis, dedit eis, dicens, bibite ex

A 3

hoc



hoc omnes: *Hoc est Sanguis meus* Novi Testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.

§. 3. Hunc secutus est Marcus, qui, utut institutioni Cœnæ non interfuerit, attamen iisdem ferè verbis, ut Matthæus, eam consignavit, ait enim ille Cap. XIV. Cùm accepisset Jesus panem, & benedixisset, fregit deditque eis, & ait, accipite, edite, *hoc est corpus meum*. Et poculo accepto, cùm gratias egisset, dedit eis; & biberunt ex eo omnes; & dixit eis, *Hoc est Sanguis meus* Novi illius Testamenti, qui pro multis effunditur.

§. 4. Lucas qui & ipse institutioni S. Cœnæ non interfuit, sed ab illis, qui à principio spectatores & Ministri sermonis fuère, ab Apostolis scilicet, accepit, Cap. XXII. v. 19. 20. ita dicit: Et accepto pane, cum gratias egisset, fregit, & dedit eis dicens: *Hoc est Corpus meum*, quod pro vobis datur; Hoc facite in mei commemorationem. Et poculum postquam cœnasset, dicens: Hoc poculum, novum Testamentum in meo Sanguine, qui pro vobis effunditur.

§. 5. Apud Paulum, qui institutionem à Domino nostro Jesu Christo accepit, hæc leguntur verba I. Corinth. XI. 23. seqq. Ego à Domino accepi, quod & tradidi vobis, quod Dominus Jesus eâ nocte, quâ traditus est, accepit panem, &, gratias actis, fregit, ac dixit: Accipite, edite, *hoc est Corpus meum*, quod pro vobis frangitur: hoc facite in mei commemorationem: Itidem & poculum, postquam cœnasset, dicens: *Hoc poculum est Novum Testamentum in meo Sanguine*; hoc facite quotiescunque biberitis in mei commemorationem.

§. 6. Ex his itaque adductis, pro Reali præsentia Corporis & Sanguinis Christi in S. Cœna, h. e. pro præsentia, qua reapse & quoad substantiam Corpus & Sanguis



guis Christi in S. Coena sub symbolis panis & vini adsunt, ut cum illis sacramentaliter unita communicantium ore accipiantur, corpus comedatur, Sanguis bibatur; non modo visibili, physico & Capernaitico, sed invisibili, supernaturali, ac humanae rationi incognito & incomprehensibili, tale nectimus argumentum:

*Quicquid in S. Coena exhibetur ore corporis manducandum & bibendum, id ipsum vere, realiter, & quoad substantiam praesens est in S. Coena. Atqui Corpus Christi in S. Coena ore corporis manducandum & Sanguis bibendus exhibetur. E. Corpus & Sanguis Christi vere, realiter & quoad substantiam praesens est.*

Major non indiget probatione, sed clara est, cum repugnet, aliquid ore corporis manducari & bibi, quod realiter & quoad substantiam non adsit, actus enim edendi & bibendi tales sint actus, qui non nisi in objectum realiter & quoad substantiam praesens tendunt. Minor ex antea adductis Salvatoris nostri verbis probatur, quando dicit: *Edite*, quid verò edendum illis porrigat, statim subjungit, cum ait: *Hoc est Corpus meum*. Item cum dicit: *Bibite*, & quid bibendum sit, addit, cum inquit: *Hoc est Sanguis meus*.

§. 7. Deinde Paulus in I. Cor. XI. 27. dicit: *Quicumque manducaverit panem hunc, & biberit poculum Domini indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini*; ubi Paulus non simpliciter nominat panem & poculum, sed τὸ ἄρτον τῆς τοῦ panem hunc, seu panem illum, de quo scil. ipse Filius DEI in institutione locutus fuerat, sub quo corpus suum edendum dederat & dixerat: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis traditur*; Ita etiam nominat poculum Domini, de quo ipse Dominus locutus fuerat, quatenus sub



vino sanguinem bibendum dederat & dixerat : *Hoc est Sanguis meus, qui est novi Testamenti.* Et, *hoc est novum Testamentum in meo Sanguine.* Hæc ita esse explicanda & intelligenda, ostendit particula *ὅτι*, per quam tota hæc sententia institutioni, de qua paulò ante, annectitur, inde deducitur, & ad eam refertur : verba *manducandi & bibendi* Paulus non impropriè sed propriè intelligit, addit enim *panem, & de pane ; item, poculum & ex poculo Domini*, quæ de manducatione & bibitione propriè sumpta intelligenda esse, nemo est, qui non videat. Indigne autem manducare & bibere significat, non ita manducare & bibere sicut decet hanc Cœnam, & sicut dignum est eo cibo & potu, qui in hac Cœna exhibetur & sumitur, manducare & bibere absq; probatione sui, absq; digna præparatione, absq; dijudicatione Corporis Domini, ut non distinguatur hoc à communibus cibis, sed irreverenter & irreligiousè & nõ aliter tractetur, ac si esset vulgaris esca. Addit autem Apostolus comminationem de reatu, qui indigna manducatione in Cœna contrahitur, circa quem duo consideranda (1) causa, unde obligatio ad pœnam contrahitur. (2) ipsum supplicium seu pœna. Posterius hoc Paulus describit, cum inquit : *Manducat & bibit sibi iudicium* : Alterum verò illud describit, cum inquit : *Reus erit Corporis ac Sanguinis Domini.* Quando enim vocabulo *ἕως* aliquid in constructione additur, illud vel genus supplicii exprimit, ut *reus est mortis*, Matth. XXVI. 66. *reus est æterni supplicii* Marc. III. 29. Vel rem illam, cujus violatione obligatio ad pœnam contrahitur, designat, ut Jacob. II. 10. qui in uno præcepto labitur, reus est omnium, mox enim additur explicatio, factus est transgressor legis, hoc est, reus est violatæ legis.

§. 8. Quando igitur Paulus inquit : *Reus erit Cor-*  
*po-*



32

poris & Sanguinis Domini, non poenam seu genus supplicii describit. Illud enim postea facit, cum inquit: *Manducat sibi iudicium*: sed causam seu crimen, unde poena iudicii incurritur, ostendit, ita, ut disertè nominet rem illam, cujus abusu & violatione poena iudicii attrahitur, & modum etiam violationis exprimat. Qui igitur in Coena Domini indignè manducat, iudicium sibi manducat. Hæc est poena: Sed cujus rei violatione poenam illam incurrit? hoc est, sicut Paulus loquitur, cujus rei violatæ reus fit? num tantum panis & vini reus fit? num symbolorum tantum violatio causa & crimen est, unde poena illa divini iudicis attrahitur? (ita quidem adversarii contendunt.) Sed Paulus expressè rem illam nominat, cujus violatione in coena, poena iudicii incurritur, *reus*, inquit, *erit Corporis & Sanguinis Domini*. Est igitur ipsum Corpus Domini, & Sanguis ipsius, cujus abusu, violatione & contumelia, illi, qui in Coena Domini indignè manducant, reatum iudicii contrahunt. Inde ergò & ideò indignè manducantes in coena, iudicium sibi manducant, quia abusu & prophanatione injurii & contumeliosi sunt non tantum in externa symbola, in panem & vinum, sed in ipsum Corpus & Sanguinem Jesu Christi. Et hoc vult Paulus, quando dicit, *Reus erit Corporis & Sanguinis Domini*.

§. 9. Ex quo loco perspicuo ac claro tale formamus argumentum. *Si indignè edens de pane, & indignè bibens de vino, fit reus ipsius Corporis & Sanguinis Christi, sequitur quod non nudè panem ederit, aut vinum biberit, sed sub pane indignè ederit ipsum Corpus Christi, & sub vino indignè biberit ipsum Sanguinem Christi. At verum est Antecedens. E. & Consequens.* Consequentia probatur; quia si non ipsum corpus & sanguinem edit & bibit, non

B  
E

ap-



apparet quomodo in ipsum corpus & sanguinem indignè edendo & bibendo peccare, aut reatum contrahere potuerit, & hoc ipsum indicat Apostolus, vers. 29. cum inquit: *Qui edit & bibit indignè, iudicium sibi edit & bibit, non dijudicans Corpus Domini.* Quibus innuitur, quod indignè edentes non dijudicent, i. e. non discernant Corpus Christi, quod edunt, à vulgari cibo, quod irreverenter & irreligiosè Corpus Domini tractent in sacra Coena, non aliter ac si vulgaris esset cibus, hoc ipsum autem realem Corporis ut & Sanguinis Christi præsentiam in sacra Coena importat.

§. 10. Contendit quidem Wendelinus *Christ. Theol. cap. 23. th. 17.* reatum istum contrahi non ex orali manducatione ipsius Corporis Christi, & orali bibitione Sanguinis Christi, sed ex indigna tractatione & profanatione sacrorum symbolorum per infidelitatem & profanitatem indignorum. Verum quo minus hâc exceptione moveamur, ut in sententiam Wendelini descendamus, obstat v. 29. ejusd. Cap. ubi Apostolus ait: *Qui indignè edit & bibit, iudicium sibi ipsi edit & bibit, non dijudicans Corpus Domini.* Quibus significat Apostolus indignè edentes & bibentes Corpus Domini à vulgari cibo non discernere, irreverenter sacrum illum cibum tractare, quod locum non habet, si præsens non est Corpus Domini in sacra Coena.

§. 11. Porro laudatus Apostolus in 1. Cor. X. 16. dicit: *Poculum cui benedicimus, nonne novicia Sanguinis Christi est? Panis quem frangimus, nonne novicia Corporis Christi est?* procul dubio, quod id, quod de poculo bibimus, non sit nudum vinum, sed vinum cum Sanguine Christi: Similiter panem benedictum dicit communicationem Corporis Christi, quia quod cum eo dato & ac-



accepto, comedere jubemur, est Corpus Christi, & qui illum comedunt, Corpus Christi comedunt, ejusque participes fiunt, alia enim ratio in Paulo non apparet, nec in Matthæo, Marco & Luca.

§. 12. Ex his igitur diligenter consideratis liquido constat, Verba Cœnæ, sicut in propria & nativa sententia sonant, accipienda & interpretanda esse, non verò in impropria, uti Adversarii contendunt, cum nulla possint ostendi manifesta certa & firma testimonia, quod simplex & nativa sententia sit deserenda, sed omnes loci mirabili consensu monstrant, comprobant & confirmant, propriam & nativam hanc sententiam, quod cœna Dominica constet non tantum externis symbolis panis & vini, verum etiam ipso Corpore & Sanguine Domini, quodque in actione hujus Cœnæ exhibeatur & ore vescientium accipiatur, non tantum panis & vinum, sed simul etiam verum & substantiale Corpus, verus & substantialis Sanguis Jesu Christi. Quomodo verò id fiat, aut fieri possit, meum non est inquirere, sed solum ipsi, qui primum instituit, credere, cum dixit: *Edite hoc est Corpus meum. Bibite hoc est Sanguis meus.*

§. 13. Hoc, quod scilicet non nudum panem & vinum, sed cum pane verum Corpus Christi, & cum vino verum Sanguinem Christi, juxta verba Christi, *Edite, hoc est Corpus meum; Bibite, hoc est Sanguis meus*, communicantes accipiant, vetus & purior Ecclesia docuit. Sic Eucharistiam Irenæus *Lib. 4. c. 34.* affirmat constare non una tantum re & substantia, sed ex duabus rebus, & quæ sint duæ illæ res, quibus constet Eucharistia, explicat, quando dicit, unam rem esse terrenam, alteram cœlestem. Verba Irenæi sunt: *Panis, qui est à terra, percipiens vocationem DEI, jam non communis panis est, sed eu-*

B 2  
E

cha-



35  
charistia ex duabus rebus constans, terrena & coelesti. Et l.  
s. c. 4. ait: Quando ergò & mixtus calix & fractus panis  
percipit verbum DEI, fit Eucharistia Corporis & Sanguinis  
CHRISTI.

§. 14. Ita & alii ex Patribus sentiunt, ante conse-  
crationem esse tantum unam ibi substantiam, scil. panis  
& vini, quando autem verbum Christi ad Elementa,  
illa accedit, tunc non, ut antea, unam tantum substan-  
tiam ibi adesse, sed simul etiam ipsum Corpus & Sangui-  
nem Christi, ut Ambros. de Sacramentis lib. 4. cap. 4. & 5.  
*Panis iste panis est ante verba Sacramenti: Ubi autem  
verba Christi accesserint, Corpus est Christi. Item, ante  
verba Christi, calix est vini & aqua plenus: Ubi verba  
Christi operata fuerint, sanguis ibi est, qui plebem redemit.  
Item, ipse Dominus Jesus testificatur nobis, quod Corpus su-  
um accipiamus & Sanguinem, numquid debemus de ejus fide  
& testificatione dubitare?*

§. 15. Quando Patres (ut modo Ambrosius) dixe-  
runt panem esse Corpus Christi, non usi sunt hac propo-  
sitione, ac si existimaverint, panem quoad substantiam,  
in Corpus Christi esse mutatum, ut in ea sunt sententia  
Pontificii, quos passim à Nostratibus refutatos videre  
licet, sed dixerunt panem esse Corpus Christi, propter  
sacramentalem unionem inter panem & Corpus Christi;  
quemadmodum usi sunt hac propositione, DEUS est ho-  
mo, non quod Divinitas in humanitatem transmutata  
sit, sed propter unionem personalem, inter duas in Chri-  
sto naturas.

§. 16. Modò laudatus Pater, in libro de iis qui  
mysteriis inicianur Cap. IX. dicit: Ante benedictionem  
verborum coelestium alia species nominatur, post conse-  
crationem Corpus Christi significatur. De hoc loco  
obi-



36  
obiter monendum est, frustra esse illos, qui hic ex verbo *Significatur* colligunt, mentem B. Patris non esse, quod post consecrationem verè Corpus Christi sit, quod ante eam Evangelista panem nominabat, sed quod post consecrationem Corpus Christi per panem significetur, vel quod panis per consecrationem signum Corporis Christi constituatur. Neque enim contextus verborum Ambrosii, si penitus eum inspiciamus, permittit, ut verbum *significatur*, hic ad panem referamus, cum ad verba Domini, *hoc est Corpus meum*, pertineat, & sensus hic sit: Verbis his, *hoc est Corpus meum*; significari, Corpus Christi esse, quod ante consecrationem verbis Evangelistæ, *accepit panem*, panis nominabatur. Ita enim habet contextus verborum: *Ipse clamat Dominus Jesus, hoc est Corpus meum. Ante benedictionem verborum celestium alia species, panis scil. nominatur, puta verbis Evangelistæ dicentis, Accipit panem: post consecrationem Corpus Christi significatur, puta verbis Domini Jesu, dicentis, hoc est Corpus meum. Quod idem est ac si dixisset Ambrosius: Post consecrationem Dominum dicentem, hoc est Corpus meum, testatum esse, ipsummet corpus suum esse, quod ante eam panem Evangelista nominaverat.*

§. 17. Irenæum, quem paulo ante laudavimus, secutus est Augustinus, ejusque, quod ad rem cœlestem Eucharistiæ attinet, interpretem egit, quando *Hoc est*, inquit, quod dicimus, hoc modis omnibus approbare contendimus, sacrificium scil. Ecclesiæ duobus confici, duobus constare, visibili elementorum specie, & invisibili Domini nostri Jesu carne & sanguine, Sacramento & re sacramenti, id est, corpore Christi, sicut Christi persona constat DEO & homine, cum ipse Christus sit Deus & homo: quia omnis res illarum

B 3

re-



*rerum naturam & veritatem continet, ex quibus conficitur. Conficitur autem sacrificium Ecclesie sacramento & re sacramenti, id est, corpore Christi. Quod Irenæus rem terrenam dixerat, id Augustinus hic visibilem elementorum (panis scil. & vini) speciem appellat, & quod ille dixerat rem cœlestem, illud Augustinus distinctè invisibilem Domini nostri JESU carnem & sanguinem esse declaravit.*

§. 18. Greg. Nyssenus in Homilia quadam: *Hic est Sanguis meus, qui effunditur, & non alius iste, & alius ille, sed unus idemque & iste & ille. Cras igitur fundetur ex hoc meo latere, quem vos modo bibitis de calice. &c.*

§. 19. Quamvis verò Adversarii contendant, Corpus Christi tantum in cœlo nunc esse, & non alibi, atque ideò omnia Patrum dicta ita interpretentur, ut substantialis præsentia Corporis & Sanguinis Christi non alibi, sed in solo cœlo credatur, quia usitatum fuerit in veterum liturgiis monere populum, ut sursum corda haberent ad Dominum: Tamen verum non est, veteres illa formula (sursum corda habemus ad Dominum) hoc voluisse indicare, Christum suo Corpore & Sanguine non adesse in actione Cœnæ Dominicæ, seu fidem ascendere debere in cœlum, atque ibi tantum Christum quærere: voluerunt enim hac formula significare, quod communicantes in actione cœnæ non solum ea, quæ sensibus apparent, panem scil. & vinum considerare, sed juxta verbum DEI statuere deberent, ipsum Christum cum suo Corpore & Sanguine ibi adesse, seque sub pane verum Corpus Christi, sub vino verum Sanguinem Christi accipere.

§. 20. Possemus longè plura ex antiquis Ecclesiæ Scri-



Scriptoribus producere, si opus esset & instituti ratio pareretur. Clara admodum sunt, quæ habet Justin. Martyr in Apol. 2. *Non ut communem panem, neque communem potum hoc sumimus, sed, quemadmodum per verbum DEI, caro factus Servator noster Christus Jesus, & carnem & sanguinem pro salute nostra habuit: Sic etiam per verbum benedictionis sacratam ab ipso alimoniam illius incarnati Jesu carnem & sanguinem esse, edocti sumus.* Hieron. in Ezech. *Domini Salvatoris carnibus alimur, & cruore ejus potamur.* August. ad Neoph. *Hoc accipite in pane, quod pependit de cruce: Hoc accipite in calice, quod effusum est de Christi latere.* Hesych. sup. cap. 8. Lev. *Mysterium illud simul panis & corpus est.*

§. 21. Inter sermones Bernhardi extat de Cœna Domini, ubi hæc reperiuntur verba. Unde hoc nobis piissime Domine, ut nos vermiculi reptantes super faciem terræ, nos inquam, qui pulvis & cinis sumus, te præsentem habere mereamur, qui totus & integer sedes ad dexteram Patris, qui etiam unius horæ momento, ab ortu Solis usque ad occasum, ab aquilone usque ad austrum. Præsto es omnibus, unus in multis, idem in diversis locis, unde hoc inquam? certè non ex debito, nec ex merito nostro, sed ex voluntate tua, & dulcedinis tuæ beneplacito. Et mox, gratulare sponsa, gaude incomparabiliter, præidentem habes & rectorem sponsum in præsentis exilii militia, pignus habes, arrham tenes, quibus feliciter sponso uniaris in patria, in terra sponsum habes in sacramento, in cœlis habitura es sine velamento, & hic & ibi veritas, sed hic palliata, ibi manifestata: & in veterum liturgiis iisdem ferme verbis legitur oratio: *Attende Domine Jesu Christe, DEUS noster de sancto tabernaculo tuo, & de throno gloria regni tui,*  
 &



*Et veni ad nos sanctificandos, qui supra cum Patre sedes, Et hic invisibiliter versaris, Et dignare potenti manu tua, impartiri nobis impollutum Corpus tuum Et pretiosum Sanguinem.* Hæc, quæ hæctenus adduximus, & similia existant apud veteres, de substantiali præsentia, exhibitione & sumptione Corporis & Sanguinis Domini in Cœna, tam clara & manifesta testimonia, ut ea adversarii nullo artificio eludere possint, quin manifestam vim faciant & verbis & clarissimis veterum argumentationibus.

§. 22. Ex his satis constat antiquissimos Patres non aliter docuisse, quam nos hodie docemus, scil. verum Corpus & verum Sanguinem sub externis symbolis, illud sub pane, hunc sub vino verè & realiter, vi institutionis Domini, adesse, & à communicantibus accipi; nec à propria & nativa significatione verborum sacræ Cœnæ esse recedendum; Quamvis enim non intelligamus, sed ignoremus quomodo Christus id faciat, tamen ideò negare non licet Christum verum suum Corpus & Sanguinem in sacra Cœna communicantibus, sive sint digni, i. e. vera & salvifica fide præditi, sive indigni, dare, & revera ibi adesse, cum DEUS abundanter facere possit supra omnia quæ intelligimus Ephel. III. 20. Bene alicubi Ambros. *Quid hic quæris naturæ ordinem in Christi Corpore, cum præter naturam sit ipse Dominus Jesus partus ex virgine.* Et Chryl. in c. 6. Joh. *Cum de rebus spiritualibus disputamus, nihil seculare sit in animis nostris, nihil terrenum, sed hujusmodi omnia abeant, omnia relegentur.*

§. 23. Antequam ad argumenta Wendelini, realem Corporis & Sanguinis Christi in sacra Cœna præsentiam negantia nos accingamus, quædam notatu digna sunt præmittenda. (1) Has propositiones, *Hoc est Corpus meum, Hoc est Sanguis meus, & Panis est communicatio*  
Cor-



*Corporis Christi, Vinum est communicatio Sanguinis Christi,* non pro iisdem habendas, nec unam per alteram explicandam, ut volunt Calviniani. Quod priores attinet, *hoc est Corpus meum, hoc est Sanguis meus,* quibus ipse Salvator usus est, subjectum nempe pronomen HOC, significat quidem totum complexum, panem scil. & Corpus Christi, non tamen eodem, sed diverso modo, nempe Corpus Christi in casu recto, quamvis confuse, panem verò in casu obliquo, ut hic sit sensus: Hoc, quod cum pane porrigo, quod cum pane modò supernaturali unitum est, est Corpus meum; Hoc quod cum vino porrigo, quod cum vino supernaturaliter unitum est, est Sanguis meus. Quod verò reliquas duas propositiones attinet, *panis est communicatio Corporis Christi, vinum est communicatio Sanguinis Christi,* illæ sunt Apostoli in i. Cor. X. 16. & à prioribus subjecto & prædicato differunt, facile tamen explicantur ex unione sacramentali, sensus enim est: Panis cum quò scil. sacramentaliter & supernaturaliter unitum est corpus Christi, est *κοινωνία* communicatio, seu medium & symbolum, sub quo est Corpus Christi. Vinum, cum quo sacramentaliter & supernaturaliter unitus est Sanguis Christi, est *κοινωνία* communicatio seu medium & symbolum, sub quo Sanguis Christi est.

§. 24. (2) Not. Quod magnum sit discrimen, inter oralem & Capernaiticam manducationem (quæ tamen à Wendelino pro una venditur) Concedunt Nostrates oralem manducationem Corporis ac Sanguinis Christi in sacra Cœna, à Capernaitica tamen abhorrent, quamvis Wendelinus Nostratibus tribuat, ac si statuunt Capernaiticam manducationem, quod tamen fallissimum est. Ut autem constet, quomodo differat oralis manducatio à Capernaitica, probè distinguenda est oralis

C  
F

lis



lis manducatio à naturali. Oralis dicitur, quando aliquid ore manducatur, quicquid sit de modo, seu ut modus non attendatur: Naturalis verò manducatio est, quæ fit modo vulgari v. g. per actum masticandi, deglutiendi &c. hæc posterior manducatio Capernaitica vocatur, quam Nostrates in Eucharistia non statuunt, sed priorem, quæ oralis dicitur. Ut autem adhuc rectius intelligatur differentia inter manducationem oralem, quam Nostrates defendunt, & Capernaiticam, quam rejiciunt; sciendum quod differant (1) objecto seu materia circa quam: Capernaitæ Christum habebant pro nudo homine, intelligebant enim manducationem carnis Christi, tanquam nudi hominis; at verò Nostrates quando manducare docent carnem Christi in S. Cœna, non intelligunt carnem nudi hominis, sed ipsius Filii DEI. (2) Capernaitæ existimarunt carnem Christi comedendam esse immediatè; Nostrates verò statuunt carnem Christi vel corpus sub externo symbolo nempe pane manducari. (3) Capernaitæ non credebant carnem Christi manducari propter vitam æternam, habebant enim Christum pro nudo homine; Nostrates verò docent vivificam carnem Christi. (4) Capernaitæ existimabant modò admodum crasso manducandam esse carnem Christi, in frustra esse scindendam, sed ab hoc crasso modo Nostrates abhorrent. (5) Capernaitæ existimabant Corpus Christi more aliorum ciborum corrumpi, sed ab hac etiam sententia Nostrates abhorrent. Tandem (6) Capernaitæ prorsus naturalem carnis Christi manducationem intelligebant, qua id, quod manducatur, masticatur, & ita comminutum in stomachum trajicitur; ab hac naturali manducatione Nostrates abhorrent, & oralem statuunt, sed supernaturalem, cujus modus cognitus est

il-



illi, qui ita instituit. Ex his facile patet falsum esse quod scribit Wendelinus, Lutheranos oralem manducationem defendere non posse, nisi simul admittant manducationem Capernaïticam.

§. 25. Jam ad argumenta Wendelini, quibus veram sententiam destruere conatur: Confert autem se ad verba Institutionis, *Hoc est Corpus meum &c.* In qua propositione primò sibi considerandum sumit subjectum nempe pronomen HOC, per quod solum panem significari putat, idque probat hòc argumentò: *Quod Christus suis manibus de mensa solum accepit, fregit & distribuit, id solum significat demonstrativum pronomen HOC.* Atqui Christus de mensa manibus suis accepit solum panem, eumque fregit & distribuit. E. Demonstrativum HOC significat solum panem. Resp. Neg. Maj. Cùm enim Evangelistæ dicunt, Christum accepisse panem, accepisse poculum, commemorant saltim res, quas Christus Sacramentum Eucharistiæ instituturus adhibuit, panem scil. & vinum, in poculo, quæ circa illas fecerit, quod egerit gratias, quod panem fregerit, quod dederit discipulis: Quænam verò res in ipsa sacramenti dispensatione per vocem HOC, quando Christus dixit, *Hoc est Corpus meum, Hoc est Sanguis meus,* in casu recto fuerint designatæ, de eo in prædictis Evangelistarum verbis nihil continetur, quippe quæ tantùm externa elementa concernunt, & quæ circa ea à Domino gesta fuerint, explicant: Sed quod verbum Domini ita otiosum fuerit & inefficax, ut Dominus per illud sub externis symbolis non aliud, quam quod de mensa sumserat, exhibere voluerit, quis dixerit? Sciendum igitur, voculam HOC in hujusmodi propositionibus exhibitivis designare concretum quid ex duobus unitis, sed alterum unitorum in casu recto, alterum

C 2  
F

in



in obliquo & per modum connotati; In casu recto quidem, sed confusè, quod in prædicato exprimitur, & per illud significatur; in obliquo verò & per modum connotati alterum, in & sub quo id, quod in prædicato exprimitur, continetur, e. g. cum ostenso dolio, in quo vinum est, dicitur, *hoc est vinum*, vocula demonstrativa. HOC designat non solum dolium, sed totum complexum ex vino & dolio: si verò ad res unitas respicias, vinum solum, idque sub ratione quadam confusa, in casu recto; dolium verò in obliquo designatur, ut commodè enunciatio in hanc resolvi possit; *Hæc res, quæ est in dolio, est vinum.* Eadem ratio est verborum Christi, *Accipite, & comedite Hoc est Corpus meum*, &c. ubi non solum respiciendum ad id, quod Christus de mensa accepit, fregit & distribuit, sed prædicatum est respiciendum, quod quia est Corpus Christi, ideò pronomen HOC confuse & quidem in casu recto significat Corpus Christi; panem verò in obliquo, & per modum connotati, hoc sensu: *hæc res, quam cum pane accipere & comedere vos iubeo, est Corpus meum.*

§. 26. Wendelinus confugit ad Paulum, qui in 1. Cor. X. 16. dicit: *Panis, quem frangimus, nonne est communicatio Corporis Christi?* Ubi putat Paulum expressè interpretari pronomen HOC de pane & verba Christi, *Hoc est Corpus meum*, exponere per hæc: *Panis est communicatio Corporis Christi.* Verum sciendum, quod propositiones Christi: *Hoc est Corpus meum, Hoc est Sanguis meus*, & Pauli, *Panis est communicatio Corporis Christi, poculum benedictionis, cui benedicimus, est communicatio Sanguinis Christi*, sint diversissimæ, ut una per alteram explicari non possit; Nam in prioribus nempe Christi propositionibus, subjectum est pronomen HOC, quod con-

fu-



44 fufe rem significat, & illam quidem, quæ in prædicato distinctè exprimitur: In Pauli autem propositionibus subjecta sunt panis, quem frangimus, poculum benedictionis &c. quæ voces distinctè aliquid significant. Deinde etiam prædicata sunt diversissima. In Christi propositionibus prædicata sunt *Corpus meum, Sanguis meus*: In propositionibus Pauli verò prædicata sunt *communicatio Corporis Christi, communicatio Sanguinis Christi*. Christi propositionum hic est sensus: quod ad manducandum cum pane porrigitur, est ipsum corpus meum: quod ad bibendum cum vino porrigitur, est Sanguis meus, Posteriorum autem propositionum sensus hic est: Panis est symbolum & medium, sub quo exhibetur corpus Christi: Vinum est symbolum & medium, sub quo exhibetur sanguis Christi.

§. 27. Wendelinus 3. ita argumentatur: *Quod jubemur ore manducare in memoriam corporis Christi, id solum denotatur per pronomen HOC. Atqui solum panem jubemur ore manducare in memoriam corporis Christi. E. Solus panis denotatur per pronomen HOC. Resp. Forma vitiosa est, minor enim exclusiva est in prima figura, adeoque virtualiter negans. Pueri verò norunt, primam figuram requirere minorem affirmantem.*

§. 28. 4. Ita Wendelinus argumentatur: *Quod significatur per pronomen HOC, id est symbolum & sacramentum corporis Christi. Atqui non corpus Christi sed solum panis est symbolum & sacramentum corporis Christi. E. Solus panis, non corpus Christi significatur per demonstrativum HOC. Resp. Neg. Maj. Symbolum enim corporis Christi prius Evangelistæ nominant, cum dicunt, Christum accepisse Panem: pronomen HOC verò confuse denotat id, quod Christus sub hoc externo symbolo*



exhibuit, & quod in prædicato distinctè significatur, quod testantibus Evangelistis est ipsum CHRISTI corpus.

§. 29. 5. Wendelinus ait: Demonstrativum τὸ HOC Luc. XXII, 20. expressè refertur ad poculum seu vinum in poculo: *Hoc poculum est Novum Testamentum per Sanguinem meum.* Ergo idem vers. 19. ad panem quoque referri debet. Resp. Ante omnia dispiciendum est de sensu propositionis apud Luc. XXII. 20. *Hoc poculum est Novum Testamentum per Sanguinem meum.* Hoc poculum igitur idem est ac, quod est in hoc poculo, quod nec Wendelinus diffitetur. In verbis autem, *est Novum Testamentum per Sanguinem meum*, est hypallage, & sensus est, est Sanguis meus Novi Testamenti, h. e. per quod N. T. vel foedus constituitur & confirmatur: patet hoc ex Matthæo cap. XXVI. 28. qui verba hæc ita refert: *Hoc est Sanguis meus Novi Testamenti*: adeoque apud Lucam, pronomen HOC confusè significat id, quod in prædicato distinctè exprimitur, ipsum scil. Christi Sanguinem. Vid. B. Luther. Tom. 3. Jen. Germ. p. 465. Quòd 6. Wendelinus provocat ad autoritatem Patrum, frustra est, & diversum patet ex testimoniis P. P. supra adductis, quibus, si opus esset, & instituti ratio permetteret, plura addi possent.

§. 30. A subjecto progreditur Wendelinus ad prædicatum & copulam. Prædicatum ait esse *corpus meum pro vobis traditum*, copulam verò EST idem esse ac *significat*: ubi not. quod Wendelinus sibi ipsi non satis constet. Si enim τὸ EST idem est ac *significat*, prædicatum non potest esse corpus meum, sed, si verbum *significat* resolvitur, prædicatum erit *significans corpus meum*, sed transeant hæc, quæ rectius à pueris Wendelinus discere potuisset.

§. 31.



§. 31. Probare autem conatur Wendelinus τὸ EST in verbis Christi: *Hoc est corpus meum &c.* Idem esse ac *significat*: Probat I. *Panis est Christi corpus mysticè & sacramentaliter.* E. propositio, *Hoc est corpus meum*, est sacramentaliter intelligenda, scil. ut sensus ejus sit: Panis significat corpus meum. Resp. Falsò supponit Wendelinus, pronomen HOC in verbis Christi denotare solum panem, contrarium enim supra ostensum est. Adducit Wendelinus alia loca Scripturæ, in quibus existimat τὸ EST idem esse ac *significat*. Sed Resp. Demus, in multis Scripturæ locis τὸ EST idem esse ac *significat*, ineptè tamen inde deducitur, in verbis Christi, *Hoc est Corpus meum*, ita quoque accipiendum esse. Eodem jure sic colligemus: Verbum EST in pluribus Scripturæ locis sumitur propriè, prout denotat identitatem inter prædicatum & subjectum. E. in verbis Salvatoris nostri quoque ita sumendum est. Sed videamus loca à Wendelino adducta. Primò adducit locum Genes. XVII. 10. *Circumcisio est fœdus DEI.* i. e. signum fœderis, vel significat fœdus DEI. II. Exod. XII. 11. *Comedetis pecudem parvam, Pascha seu transitus est Jehovæ;* hic agnus paschalis dicitur transitus, quia erat signum transitus. De hoc loco Exod. XII. gloriatur Wendelinus, quod olim dormienti Zwinglio per somnium sit suggestus, quo contra adversarium sub initium reformationis fortiter se defenderit. III. I. Cor. X. 4. *Petra erat Christus* i. e. significat Christum. IV. Genes. XLI. 26. *Septem vacce sunt septem anni,* i. e. significant septem annos.

§. 32. Sed difficilis non est responsio ad loca à Wendelino adducta. Quod primum attinet, propositio hæc: *Circumcisio est fœdus DEI*, in Genesi non legitur, sed dicitur, *hoc est fœdus meum*, nempe ut omnis mas circum-

cum-



cumcidatur, quæ verba hunc habent sensum: Fœdus meum à vobis requirit, ut circumcidatis omnem masculum; inde autem non potest deduci hæc propositio: *Circumcisio est fœdus DEI*. Sed ponamus hanc propositionem, *Circumcisio est fœdus DEI*, elici posse ex d. l. tamen id nobis non obstat, nec Wenedelinum juvat. Si enim circumcisio sumatur pro integro sacramento, quod duo complectebatur, alterum ex parte DEI, scil. mandatum divinum & gratiæ promissionem: alterum ex parte hominum, quod erat externa pelliculæ amputatio, per quam homo se DEO obligabat ad præstandam obedientiam; Si, inquam, circumcisio ita sumatur pro integro sacramento, pro integra hac actione, quæ totam fœderis divini essentiam in se continebat, circumcisio propriè fuit fœdus DEI, nec in propositione, *Circumcisio est fœdus DEI*, verbum EST pro *significat* sumitur.

§. 33. Ad 2. Resp. Hæc propositio, *Agnus est Pascha* sive transitus in textu non habetur, sed hæc sunt verba: Comedite eum, nempe agnum, *non* transitus Domini est, i. e. debetis edere festinanter, quia jam instat vel appetit transitus Domini, ut loquitur B. Gravverus.

§. 34. Ad 3. Resp. Cùm dicitur *Petra erat Christus*, petra sumitur pro petra spirituali, Christus autem est propriè spiritualis petra, adeoque EST hic non sumitur pro *significat*.

§. 35. Ad 4. Resp. Posito, quod in verbis illis, *septem vacca sunt septem anni*, sit tropus, non tamen is latet in verbo EST, sed in prædicato, ut septem anni, qui sunt prædicatum, ponantur pro signo septem annorum, inde autem non sequitur, quod talis tropus etiam locum habeat in verbis institutionis.

§. 36.



§. 36. Pergit Wendelinus: Qualis est locutio Christi: HOC (poculum) est Sanguis meus Novi Testamenti, Matth. XXVI. 28. talis quoque est locutio: *Hoc est corpus meum.* Prior est sacramentalis, ut signum ponatur pro signato. E. & Posterior. Resp. Verum est, quod qualis est propositio apud Matth. XXVI. 28. talis etiam sit hæc: *Hoc est corpus meum.* Verum propositio apud Matth. XXVI, 28. non est hæc: *Hoc (poculum) est sanguis N. T.* Sed, *hoc est sanguis meus N. T.* cujus sensus sicut est hic: *Hoc, quod cum vino bibendum exhibeo, est Sanguis meus:* ita & alterius: *Hoc est corpus meum,* sensus est: *Hoc, quod cum pane edendum exhibeo, est corpus meum.*

§. 37. (3) Wendelinus ait: Qualis est Pauli locutio: *Panis est communio corporis Christi: talis quoque est Christi: Panis est corpus meum.* Sed illa est sacramentalis. E. & hæc. Resp. Christi propositio non est: *Panis est corpus meum,* sed *Hoc est corpus meum,* quæ à Pauli locutione est diversissima, ut patet ex superioribus.

§. 38. (4) Wendelinus ita argumentatur: Si propositio *Hoc est corpus meum,* intelligenda est propriè, sequitur, panem substantialiter esse corpus Christi, quod falsum. Resp. Neg. Consequentia: supponit Wendelinus, quasi pronomen HOC idem sit ac panis, quod falsum, ut ex præced. patet, ubi ostensum pronomen HOC confuse significare id, quod distinctè in prædicato exprimitur, nempe corpus Christi.

§. 39. Wendelinus (5) ita argumentatur: *Nulum disparatum de disparato affirmatur propriè. Atqui in verbis: Panis est corpus Christi, Calix est N. T. affirmatur disparatum de disparato. E. Propria non potest esse affirmatio.* Resp. Cùm larvis pugnat Wendelinus, neque enim quæstio hic est de propositionibus: *Panis est corpus*

D

Chri-

S



*Christi, Calix est N. T.* Sed de propositionibus Christi, *Hoc est corpus meum, Hoc est Sanguis meus*, in quibus non disparatum de disparato, sed idem de seipso sub alia atque alia ratione affirmatur. Deinde, falsum est, disparatum de disparato non affirmari propriè: Sanè DEUS & homo sunt disparata, in doctrina tamen de Christo rectè alterum de altero affirmatur & dicitur: *Deus est homo*. Excipit Wendelinus: *Deus & homo non sunt disparata*. Resp. videtur naturam disparatorum non satis intelligere. Laudat locum Cajetani in *Thom. p. 3. qu. 16. a. 1.* ubi ait: *Hominem prædicari de Deo, ut speciem de sua hypostasi*. Resp. Ineptum hoc est, Species prædicatur essentialiter, quod pueri norunt, anne verò homo de hypostasi divina essentialiter prædicatur, pertinetne humana natura ad rationem hypostaseos? absurda hæc sunt.

§. 40. Wendelinus (6) ita procedit: *Si calix est propriè sanguis Christi, utique non erit testamentum Christi. Atqui ex adversariorum sententia verum prius, et si absurdissimum. E. & poster.* Resp. Quæstio est de propositionibus Christi, *Hoc est corpus meum, Hoc est sanguis meus*, non de illa: *Calix est sanguis Christi*.

§. 41. Porro, quod Lutheranorum explicatio verborum Institutionis falsa sit, probare conatur Wendelinus seqq. 1. *In baptismo sanguis Christi non est corporaliter, in, cum & sub aqua. E. nec in cæna corpus Christi est in, cum & sub pane.* Consequentiam probat, quia baptismi aqua non minus est sacramentum sanguinis Christi, quam panis est sacramentum corporis Christi. Resp. 1. quod vocem *corporaliter* attinet, quâ utitur Wendelinus, de ea observ. quod vel notet objectum præsentia, vel præsentia modum, priori modo nihil habet incommodi, posteriori autem modò rejicitur. 2. Neg. Con-



Consequentia. De cujusque enim sacramenti natura judicandum est ex institutione Christi. In cœnæ Dominicæ institutione autem dixit Christus, *accipite, comedite, hoc est corpus meum*, & sic de reali corporis sui præsentia testatus est verbis satis perspicuis: Sed quando instituit Baptismum & baptizare jussit in nomine Patris, Filii & Spiritus S. non dixit de eo, quò jussit baptizare, *Hoc est sanguis meus*. Unde ex negatione realis præsentia sanguinis Christi in baptismo non licet concludere ad negationem realis præsentia corporis ac sanguinis Christi.

§. 42. Secundum VVendel. argumentum, quo Lutheranorum explicationem verborum Institutionis impugnat, hoc est: *In verbo suo nusquam Christus nobis promittit corporis sui exhibitionem corporalem ante judicium ultimum. E. nec in Sacramento cœnæ eam confirmat & obsignat.* Resp. Si corporalis exhibitio corporis Christi, ut loquitur VVendelinus, spectatur ratione objecti præsentia, ut idem sit ac realis exhibitio corporis Christi, negatur antecedens, & petit VVendelin id quod in principio. Verba enim institutionis, in quibus hæc realis præsentia fundatur, aliter quàm propriè accipienda esse, nondum VVendelinus probavit. Si verò corporalis exhibitio accipitur de modo præsentia corporali & visibili, negatur consequentia. Quod dicit VVendelin. Christi reditum in has terras ante judicium ultimum non esse expectandum, Resp. id de reditu in gloria & præsentia visibili intelligendum esse, hoc verò non obstante præsens est modo invisibili in S. Cœna, quod nondum evertit VVendelinus.

§. 43. Tertiò VVendelinus contra explicationem nostram verborum Instit. ita argumentatur: *Christus habet unum tantum & finitum corpus. E. Christi corpus non*

D<sup>2</sup> est  
9



51. *est in, cum & sub pane, ubicunque S. Coena administratur.*  
Consequentia inde probatur, quod unum numero corpus non possit simul in pluribus locis esse. Resp. Neg. Consequentia: ad probationem resp. per naturam non est possibile, ut idem numero corpus simul in pluribus locis sit, hoc verò per absolutam DEI potentiam quoque non esse possibile, non habet, unde probet VVendelinus. Notabilis est locus Ephes III, 20. ubi ait Apostolus, *Deum cumulatè facere posse ultra omnia, quæ petimus, aut cogitamus.*

§. 44. VVendelinus 4. argumentatur h. m. *Si Christi corpus jam est corporaliter sub pane & sanguis sub vino præsens, sequitur in Coena Domini vel sanguinem à corpore Christi separari, vel sub pane esse corpus & sanguinem simul, & sub vino corpus & sanguinem simul. Atqui falsum est consequens. E. & antecedens.* Resp. Neg. Conseq. Sicut enim potentia Dei absolutæ non repugnat, idem numero corpus in pluribus locis præsens constituere: ita quoque potest sanguinem, qui est & manet in corpore Christi, præsentem sistere etiam extra Christi corpus, ut sub vino sacramentaliter sit præsens.

§. 45. *Si Christi corpus est in, cum & sub pane, sequitur jam Christi corpus in, cum & sub pane frangi, dentibus comminui, & in stomachum trajici. Atqui falsum & absurdum est consequens. E. & antecedens.* Resp. Neg. Consequentia: Ratio negationis est, quia panis & corpus Christi non sunt inter se naturaliter unita, ut propterea pati oporteat corpus Christi, quicquid patitur symbolum exterius, nempe panis, sed habent inter se unionem supernaturalem, quæ communiter sacramentalis dicitur, quâ unione non obstante, mutari potest externum symbolum, corpore Christi manente immutatò.

Ex-



52 Excipit VVendelinus, consequens Luthero olim non vi-  
sum esse absurdum, & citat Tom. 2. Isleb. f. 330. Tom. 2.  
VVitteb. f. 215. Resp. Lutherus non loquitur de corpore  
Christi in se, sed in suo symbolo externo.

§. 46. Denique ita ratiocinatur VVendelinus: *Si  
Christi corpus est in, cum & sub pane, utique in, cum & sub  
pane adorandus esset Christus. Consequens falsum. E.*  
Resp. Neg. Conseq. Habitat enim Christus in piorum  
quoque cordibus, neque tamen sequitur, quod in illis sit  
adorandus. Adorandus igitur est Christus, ubi se pate-  
fecit & adorari voluit.

§. 47. Unum adhuc, coronidis loco, lubet addu-  
cere Calvinianorum argumentum, à fine desumptum:  
Argumentantur enim hunc in modum: *Finis hujus sa-  
cramenti instituti & percipiendi est commemoratio Christi: At  
verò ad hunc finem obtinendum, neque realis presentia cor-  
poris & sanguinis Christi in, cum & sub pane & vino, neque  
oralis perceptio requiritur.* Resp. posito hoc, quod præ-  
sentia corporis & sanguinis Christi in S. cœna non requi-  
ratur præcise propter hunc finem, nempe commemora-  
tionem mortis Christi, cum etiam absentium fieri possit  
commemoratio, inde tamen non sequitur corpus & san-  
guinem Christi in S. cœna realiter non adesse, adest enim  
vi institutionis & promissionis Christi. Alij aliter for-  
mant hoc argumentum & dicunt, institutum esse hoc sa-  
cramentum in memoriam Christi, memoriam autem  
tantum esse rerum absentium, Christum igitur ratione  
corporis & sanguinis sui in S. cœna revera non adesse.  
Resp. Concedendo institutum esse hoc sacramentum  
in memoriam Christi: Quidam autem distinguunt inter  
Christum ratione substantiæ, & ratione passionis & mor-  
tis consideratum, & dicunt institutum esse hoc sacramen-



53 tum in memoriam Christi, non ratione substantiæ, sed ratione passionis & mortis ejus, quæ præterierit. Inde autem non sequitur ipsum corpus & sanguinem Christi in S. cœna quoad substantiam non adesse. Deinde falsum est, quod memoria semper sit rerum absentium: Sane meminisse potest homo ipsius DEI, qui tamen ipsi præsens est, meminisse potest angelorum, qui tamen ipsi præsentibus sunt. Sciendum igitur est, quod res præsentibus vel sensibiles sint, vel insensibiles: quæ sensibilibus sunt præsentibus, ut in sensus incurrant, & per sensibilem speciem actu eos moveant, de illis conceditur, quod sub hac ratione illarum propriè non dicamur meminisse, meminisse enim est species recolere, quando autem actu species in sensum incurrit, eumque movet, opus non est ut recolatur, unde talem rem dicimur videre, audire &c. non autem ejus meminisse, atque hoc sensu intelligendus esse videtur Aristoteles, cum inquit: memoriam esse absentium, unde addit; præsentibus memoria complecti non solemus, sed sensu. Quando autem res aliqua præsens est ratione substantiæ suæ, ut tamen in sensus actu non incurrat, recte etiam talis rei meminisse possumus, quia enim species actu sensum non movet, repeti potest ac recoli, recolere autem speciem rei, est rei meminisse, quia igitur species corporis & sanguinis Christi non observatur sensibus nostris, nec actu sensum movet, ideò recoli potest, adeoque meminisse possumus corporis & sanguinis Christi, ut actu & quoad substantiam præsens sit.

Sed cum instituti ratio non permittat, ut plura addam, DEO pro ingenti gratia & misericordia humiles ago gratias, & huic Disputationi impono

F I N E M.

Quæ



54  
**Q**Uæ tibi sint animi dotes, quis & hæc-  
nus æstus  
Ingenii fuerit, prodis dum pulpita scan-  
dis,

Pergito, nec cessa doctorum volvere libros,  
Sic tandem laudes, sic præmia digna capeſſes.

*Honoris ergo ſcrib.*

**PRÆSES.**

---

**I**N ſacris epulis, AMICE, præſens  
**CHRISTI** Corpus adeſſe, ſingulisque  
Quotquot ſymbola conſecrata ſumunt  
Præberi, benè diſputas. Laborem  
Quis fauſtum neget, aut neget, favorem  
Præſentem tibi nunc adeſſe **CHRISTI**?

*Eximio DN. Reſpondenti de ſpecimine eruditio-  
nis gratulaturus ſcrib.*

Johannes Gvil. Bajer,  
SS. Theol. D. P. P.

---

**F**elix cui Chriſti præſentia corporis ipſa  
In fatanam & mundū præſidio eſſe poteſt.  
Pignus id eſt vitæ melioris & alma ſalutis  
Gratia, quam tribuit Numinis unus amor.  
Teq; iſto maſtum decore augeat entheus autor,  
Præſentique ferat munera digna manu!

*Cum gratulat: ſincera lmg, adſcrib.*

Phil. Müllerus, D. P. P.

Quan-



Quantos *JENA* Tibi dederit *GODT-*  
*SCHALCE*, politi  
 Ingenii dotes, hæc tua scripta pro-  
 bant.

Non *TIBI Fautores* deerunt, me iudice, *summi*  
 Nec *TIBIMET* credo, fama deesse potest.

*Hæc amica mente manuq; in gratiam Per-Eximii*  
*DN. Auctoris adponebat*

Johannes Schlemmius, Conc.  
 Aul. Ducal. Saxo. Dornburg. ac  
 Bürgel. Superintend.

Constita sic tellus florescit femine tandem,  
 Effluit & labiis, nimium quo pectus ab-  
 undat;

Hinc sua bella canit seu Martia vulnera miles,  
 Et prædam jactat, quam fecit ab hoste cruenta  
 Sæpe manu: narrat mens ingens maxima laudis  
 Facta suamque Helenam memorat jucundus  
 amator.

Quid mirum patulum si nunc os solvitur atque  
 Differit, ex sacris, quæ clauso pectore gessit.  
 Egregium factum! quod tentas, dulcis *AMICE*,  
 Pergito, quod tentas feliciter *Æthra* beabit!

*Per Eximio Dn. Respond. Fautori & Amico suo certissimo*  
*de eximio specimenæ profectibusq; egregiis in*  
*Theologicis gratulat. scrib.*

M. Christianus Grübelius,  
 Ampliff. Facult. Philos. Adj.

•••(•)•••



Aug VI 20 (1)

ULB Halle 3  
004 504 488




f  
TA → 6L  
neu 1+37 Stück verdingt

VO 17

Z









2. D. B. U.  
DISPUTATIO THEOLOGICA  
DE  
REALI PRÆSEN-  
TIA CORPORIS ET SAN-  
GUINIS JESU CHRISTI IN  
SACRA COENA,  
REFORMATIS OPPOSITA,

*Quam*  
AUSPICIIS SACROSANCTÆ AC INDI-  
VIDUÆ TRINITATIS

PRÆSIDE

DN. FRIDEM. BECHMANNO,

S.S. Theol. Doctore, ejusdemque in,  
florentissima Salana Professore Publico,

*DN. Patrono ac Præceptore suo omni honoris ac  
observantia cultu æternum colendo  
publicè ventilandam exhibet*

JOHANNES GODTSCHALCUS SOCHTORPIUS,  
Lippia Westphalus,

A U T O R.

*In Auditorio Majori*

Ad d. Maji, Anno M. DC. LXXV.

—  
JENÆ, TYPIS JOHANNIS WERTHERI, Typographi Ducalis.  
D

